

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Andreae Alciati Emblemata**

**Alciati, Andrea**

**Patavii, 1661**

[...]. Emblema LXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Rubula  
forensis.

Porrò hoc quicquid est emblematis, re-  
cè torferis in fori latratores, tabulas, qui-  
bus quid impudētius? quid rapacius? quid  
dehīq; fraudulentius? qui dum iusti & æ-  
qui patrocinium suscipere aiunt, sepius al-  
ter affirmatiuam, alter negatiuam partē rei  
iudicandæ defendunt: unde fit, vt vnus eorū  
iniustum semper tueatur, prout pars hunc  
vel illum conuenerit prius, idq; per plu-  
res dies, menses, & annos, lites interdū im-  
mortales protrahentes, quoad miserorum  
nummi penitus exhauriantur ac eloculentur,  
tantum abest vt bona publica & priuata  
defendant. Sed ne videar partis odio la-  
borare, nihil dicam hic vltra de æruscato-  
ribus illis, quibus nulla religio est vel om-

nem hominem natum, vt dicebat Atchilo-  
chus, decoriare, principis saltē sui, cui pla-  
cere hoc pacto student, fūscum vt adaur-  
geant; & nec minus tamen prædam in sinū  
suum conferant, vt est apud Lampridium.  
Et tamen hi in precio habentur, qui potius  
nois illis tormentorum, hoc est, tributo-  
rum, vectigalium, portitorum, quibus  
misera plebs dilaniatur, excogitatis generi-  
bus digni erant, vt Perilli taurum æneum  
experirentur. Hos igitur morboniam abi-  
re exoptem; cum enim in locum lauernio-  
nes & gryphos istos, vel ipsis etiam feli-  
bus rapaciores ablegari video à Lipsio, lib.  
4. de Repub. c. 11. Quò etiam ego aman-  
do Vespasianum cū vectigali suo vrinario

Æruscato-  
res.

Φιλαντία.

EMBLEMA LXIX.



v Quod

**Q**UOD nimium tua forma tibi, Narcisse, placebat,  
 In florem, & noti est versa stuporis olus.  
 Ingenij est marcor, cladēsq; φιλαντία, doctos  
 Quae pessum plures datq; deditq; viros:  
 Qui veterum abiecta methodo, noua dogmata quarunt,  
 Nilq; suas praeter tradere phantasias.

## COMMENTARI I.

**I.** IN fonte simplicissimo iuuenis formosus vmbra suam ab aquis reuerberatam intentē contemplatur, iuxta quem sui nominis flos, Narcissus scilicet, prorūpit. Flos est purpureus, stellatus, de quo Plin. lib. 2 r. cap. 5. 11. & 19.

**II.** TIR E S I A S vates tamdiu victurum Narcissum praedixit, quamdiu à sui conspectu abstineret. At ille ignarus infortunij, quod iam iam sibi impendebat, visam in fonte sui vultus imaginem sic deperijt, vt sui amore captus miserē contabuerit, & in florem sui nominis commutatus sit, qui Narce dicitur, teste Plinio lib. 21. cap. 19. Est autem Narce, *ναρκων* siue *ναρκωσις*, stupor, torpor, membrorumq; dissolutio: & Narcissus flos, si diutius naso admoueatur, mentis torporem inducit. de quo vide Marcellum Virgilium in Dioscoridem. Narcissi fabulam refert Ouidius 3. Metamorph. De eodem vide Icones Philostrati, tit. Narcissus, & Statium l. b. 7. Thebaidos. Pausanias in Bœoticis sic ait de Narcisso: In Thepiensium terra locus est, qui Danacum appellatur: ibi Narcissi: fons visitur: & aquam hanc inspexisse Narcissum ferunt, qui nō intellexit suam se vmbra videre, ac seipsum à semetipso amari ignorauit, atq; hoc amore iuxta fontem cōtabuit. Sed id planē insulsum est, eo demeritā quemquam peruenire, vt ex amoris ardore hominem ab hominis vmbra dignoscere nequeat. Verum de eodem & alia quaedam narratur prioribus minus nota. Sororem Narcissum gemellam habuisse, tum in alijs rebus specie planē similem, eum eādem: vtrosq; comam habuisse vnicolorem, iisdemq; vestibus fuisse indutos, simul item venatum exiisse: at Narcissum in amorem incidisse sororis. Mortua autem puella fontem adijt, & suam se videre imaginem intellexit. Quare intellecta, non nihil alleuatiouis in amore sensit, tāquam

non suam vmbra, sed sororis imaginem conspicaretur. Hæc Pausanias, qui & Narcissum herbam multo ante Narcissi mortem fuisse, testimonijs antiquissimorum probat. Vide plura de Narcisso apud Narcomitem Mythol. lib. 9. cap. 16. Cæl. Rhodig. lib. 26. cap. 27.

**Q**UOD nimium &c.] Descriptio φιλαντίας. Hæc simile penē est Epigramma pictæ Poesos Bartholm. Anuli, quod propter elegantiam ascribam: **III.**

*Narcissus liquidis formam speculatus in vndis,*

*Contemns alios, arsit amore sui:*  
*T' huius, & sensum venienti in membra stupor.*

*Ipse sui, factus flos hyacinthos, amans:*  
*Hinc fugite (o iuuenes) fons iste Philantia,*  
*seipsum*

*Stultus ubi, cum se non bene norit, amat.*  
 Enolue Pulcheramam disputationem eade re Marfilij Ficini, Orat. 6 c. 17 in conuiuio Platonico.

*Tua forma tibi, Narcisse, placebat.]* Plutarch. Symposiac. 5. qua stion. 7. refert, idem accidisse cuidam, quem Euteliidā nominat, qui cum se in vndis aspectaret, amore sui captus, penē perijt, dum ita deperiret.

*In florem] tibi cognominem, id est, Narcissum.*

*Noti stuporis] Narcissus enim flos dicitur à *ναρκων*, quod stuporem sonat, vel à *ναρκωσις* unde *ναρκωσις* torpescere. Vnde etiam flos ipse *αυσις* caput tentat.*

*Olus] Oulus dicitur omnis herba fatiua. Oulus. Marcor] putredo, caries. Metaphora, Marcor pro eo quod est deprauatio, φιλαντία enim ingenio iudnot quasi marcorem & exitium.*

*Cladēsq;] mors & exitium, alia metaphora.*

*φιλαντία] φιλαντία, vt vertit Carm. Philan. Ode 11.*

Ode 18. Horatius, est cæcis amor sui; cuius verba elegantissima ad Bacchum, sub-  
scribam:

-----Sæua tene cum Berecynthio

Cornus tympana, qua subsequitur cæcus amor sui.

Attollens vacuū plus nimio gloria verticē.  
De φιλαυτία vide prouerbia, suum cuiq;  
pulchrum. & φιλαυτοί. Adi etiam Aristotelem lib. 9. Moral. cap. 7. & 8.

Pessum.

Pessum plures dicit; deditq;] pro, pessundat, & pessundedit, tmesis. Pessum, à πῆσεν, cadere, significat deorsum, quasi sub pedes proiectum. Apul. lib. 5. Nisi eam pessum de tantis opibus deiecero. Lucret. lib. 6.

Muliatq; præterea ceciderunt mœnia magnis

Motibus in terris, & multa per mare pessū  
Subsedere suis pariter cum ciuibus vrbes.

Qui veterum abiecta methodo] Qui à veterum doctrina, docendiq; ratione desciscetes, nouam quandam sectam induerunt. Methodus est compendiosa via, seu præceptio: si quidem ἐσθός, viam significat, & μιδόδος, viam breuiusculam & compendiosam, qua incedere vetuit Pythagoras. Vnde abbreviationes & artium præceptiones hoc vocabulo ab Aristotele intelliguntur.

Methodus.

Nilq; suas præter] iij; nil aliud tradere voluerunt, quàm quod eorum dictabat libido.

Phantasia.

Phantasia. Opinions φαντασίας Fabius lib. 10. cap. 7. & lib. 12. cap. 10. appellat rerum visiones & imagines, Cicero 1. Academ. Vifa. Aristoteles 2. de Anima, phantasia describit phantasticæ virtutis operationem, scilicet motum à sensu secundum actum factum. Vnde patet differentia inter phantasia & phantasma; nam phantasma est imaginatio vel visio eius, quod non est: phantasia autem solum eius quod est, authore Suida. Ego cum Socrate per canem & anserem iurare paratus sum, Alciatum hoc loco respexisse ad phantasia morbum, quæ est intellectus vel cogitationis deprauatio, de qua Galenus interiorū 3. Affectio, inquit, quæ dicitur phantasia, nil aliud est, quàm intellectus corruptio. Quam etiam tangit Celsus lib. 3. vbi phrenetis species exequitur. Hinc à communi iudicio deuios simplex vulgus phantasticos nuncupat. Hos Itali passim Byzaros

Phantasia morbus.

Byzari.

dicunt, credo ab inconditis moribus popularum, qui in Ponto dicuntur Byzares, vt inquit Stephanus, meminitque Valerius Flaccus: Byzaresq; vagi.

NOTANTVR hoc figmento, qui à veterum legibus & institutis desiccantes, nouam quandam doctrinæ formam cōstitantur: tamq; sibi placent, vt licet obtusio res reuera sint, quicquid tamen præcipiunt, violentius aliquantum inculcant, neglecta prorsus & obliterata maiorum via & ratione: eoq; deuentum est, vt fidem illam canam, & priscam veterum auctoritatem præ sua opinione nihili ducant: tanta est cæcitate, stulticia atq; peruersitas. Tales sunt νεοσόφοι: quidam impudētissimi, qui nouorum dogmatum persuasionem populū incautum inescant, verborumq; phaleris sic protelant & peruertunt, vt miserimi homines errore perciti, quasi gustata loto, libenter à Christianæ Reipubl. communionem, suo magno malo, desciscant. Tam enim sunt perfictæ frontis, vt sua dogmata omnium esse certissima verbis scriptisq; asserere nō veriti, nullam aliam meliorem, aut certiorum de religione traditam fuisse sententiam, quàm quæ à se suisq; tradatur, affirmant. Sicq; plurimorum damno & pernicie detestandam φιλαυτίαν in rebus diuinis experimur. Potest & hoc tor-

IV.

Nouus doctores reprehens.

Imperitæ φιλαυτου.

queri commodè in imperitos, & ἀμύτους rerum suarum non æquos admiratores, quibus laudē ( vt Comicus ait) nihil vnquā quicquam iniustus: nihil enim rectum putant, nisi quod ipsi fecerint: quo fit, vt aliena tam impensè carpendo, suaq; plus quàm par est, admitando, ingenioli suos absq; vilo fructu facillimè marcescat. Vnde merito illud repetam, quod Alciatus in quadā Oratione dixit: Nullam esse perniciosiorem studiorum calamitatem, quàm sui ipsius confidentiam & admirationem, quem morbum Græci φιλαυτίαν appellant. Est enim ea lues adulatione deterior, eoq; hominem inducit, vt se existimet optimè scire quæ non intelligit, redditque cum negligentem, superbum, otiosum, aliorum contemptorem. Emendatur autem hic error non tam oratione quàm frequenti auditu & collatione, quæ cum peritioribus habetur. Quapropter, inquit ille, cauendum ab hac bellua: nullus enim erit veræ sapientie capitalior hostis, quàm qui meliorum præceptorum dogmata flocci facit. Diu i-

Practi-  
vus Plato  
nis locus.

nus Plato, quem tanquam fata alicuius & verae sapientiae terrestre oraculum merito docti omnes suscipiunt ac venerantur, lib. 5. De leg. auream planè sententiam pari verborum pondere scriptis mandavit: πάντων δὲ μάλιστα κακὸν ἀνθρώποις τοῖς πολλοῖς ὀμθυτον ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐστίν, οὗ πᾶς αὐτῷ συγγνώμην ἔχων ἀποφυγὴν ἢ δειλίαν μηχανάται. τὸ δ' ἐστίν ὀλιγυσιμὸς φίλος αὐτῷ πᾶς ἀνθρώπος εὐσεβεῖ τε ἐστὶ καὶ ὀρθῶς ἔχει τὸ δὲν εἶναι τοῦτον. τὸ δ' ἀλιθίεργε πάντων ἀμαρτημάτων διὰ τὴν σφόδρα ἰαυτῷ φίλιαν αἰτίον ἡκίστη γίνεται ἡκίστοτε. Quae singula si diligenter expendamus, suppetet nobis accommodatum certè & praesens amuletum ad atcendum, aut minuendum hunc animi errorem, hominibus quidem gratum, sed tamen exitialem. In primis enim φιλαυτίαν non abs re appellat maximum, quoddam malum, innatum in meliore hominis parte, nempè animo: & eo quidem deterius ac praesentius, quòd licet eo pletrique morbo correpti sint, non tamen vniquam de remedio quaerendo, aut parti male affectae applicando cogitant, vt tandem sani possint euadere. Atqui nulla exitialisior aut damnosior aegritudo est, quàm quae sui sensum adimit, ita vt ἀναίσθητον quandam inducat, & tenaciter foueat: quo fit, vt omni animi contentione & industria in eo malo periculossissimo propulsando sit enitendum, & eò maior cura conferenda, quòd morbus hic (in quo sit fons, & certè principium aliorum omnium, quae in animum cadere possunt, vitiorum) grauiorres affert corruptiones, clademque ingenij praesentior. Nulla enim ratione fieri potest, vt qui hac percussus peste oberret, sanum vel in alijs, vel in seipso iudicium retineat, cum se non norit: quandoquidem sit in oculis mentis intusa caligo tam densa, tamque spinosa, vt vel apertis oculis nihil videat. Itaq; qui sui capitur amore, non vere sese amare potest, sed falsam quandam de se opinionè, vt vmbra aliquam, quasi qui in tenebris palpat, oscitanter aucupatur. At verò (vt Plato docet) seipsum à seipso falli πάντων χαλεπώτατον, imò verò adijciam δεινώτατον καὶ ἀθλιώτατον. Cum enim impostor ipse praesens semper habeatur, nec minimum quidè abscedat, quo pacto non esset grauissimum malum, in primisque deplorandum? Caecitas hac

Caecitas  
animi  
maxima.

φιλαυ-  
τία mor-  
bus maxi-  
mus.

omnium maximè intolerabilis, cum infelicitiam nostram sapientiae loco habemus, & quaquam omnium penè rerum ignoratione laboremur, tamè nos omnia ingenio afsecutos arbitramur. Tolerabile alioqui vitium, si ea tantum placerent, quae ingenij specimina quaedam praeseferunt, aut alia generis eiusdem; in quibus si tantum fallimur, nec fallimus, aut si sic fallimur, vt melioribus & peritioribus aurem patèrem agnito errore praebemus, nemo est quin veniale putet. Quotus autem quisque est, qui placido ferat animo, quòd ipsi naui, & vitia tam impensè nobis placeant, velut amatorem amicae, vt ait Flaccus, Turpia decipiunt cacum vitia, aut etiam ipsa haec

Delectant, veluti Balbinum polyptus Agna. Quo fit, vt vero verius dictum sit à Theocrito (vt id ad nostrum sermonem conuertamus.) ----- ἔρωτι Πολλὰ κίς, ὀ πολὺθαμ, τὰ μὴ καλά κακὰ τίθωνται. id est: ----- Haud raro Polypheme, Quae minimè sunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.

Nimirum id in causa est, quòd, vt ait Varro, Omnes videmur nobis esse bellifertui, saperda, cum simus σόαροι. Id tametsi omnibus generaliter verum est, tamen in artificibus, atq; ex his potissimum poetas, adhuc in amates precipue quadrare videtur. Etenim rectissimè scripsit Aristoteles lib. 4. Moral. Suo quemq; artificem opere impense delectari, nò aliter, quàm rebus quibusdam ex sese prognatis. Neq; secus adamant sua carmina poetae, quam parentes liberos. Est enim artificis opus quasi quiddam ingenij fetas: de quo Socrates ait, rectius iudicare obstetricem quàm matrem ipsam. Sponsis item amantibus mos est, suam cuiq; sponsam certatim extollere. Cuius rei sat magnum exemplum extat de Tarquinij adolescentibus. Vnde & hodie vulgo seite dicunt: Nullum reperiri deformem amasium; propterea quòd amati vel non pulchra pulcherrima videntur. Hinc illud Plautinum in Stichio: Suus rex regina placet: sua cuique sponsa sponso.

Id quoq; optimè denotare videtur apologus ille. In auium concilio dixit aquila, se in aulicos eligere velle formosissimos quosque altarum apium filios. Cum igitur certatim

Suum cuique pulchrum.

Apologus de bimbo.

tatim queq; suos offerret, bubo, O regina, inquit, accipe meos, qui ceteros pulchritudine superant. Qua forma, subdit aquila, sunt filij tui? Qua ego sum, respondit bubo, Tunc omnes vehementi cachinno comota fuerunt, Sed esto hoc venia dignum, vt suis quisq; liberis, suis artibus, suo instituto, suis inuentis, suae patriae paulo impensius faueat; nisi eò cæcitatè rapiamur, vt & virtutes alienas calumniemur, & nostris blandiamur vitijs, eaq; virtutum nomine donemus: ac sibi quisq; sit, quod sibi fuit Suetonius Carullianus, aut Meuius Horatianus. Quod vitij Flaccus in Epistolis notans inquit:

*Dum mala delectant mea me, vel denique fallant.*

Ex Aristonymo citatur illud: *ἔστιν ἐν βίῳ μάλιστα βλάβη, ἢ ἀνοήτους ὄντας τοὺς πολλοὺς, διὰ τὴν φρονίμους εἶναι.* Id in primis est in vita humana noxium, quod per multum cum se sapere putent, tamen desipiunt. Quamobrem nihil deterius aut periculosius, quam nimium fidere. Certè (vt de me ipso aliquid) sum satis mihi conscius, quam debili & penè nullo ingenio sum: si quid tamen sit, nūquam vllatenus me profecisse liberè confiteor, quam cum ignorare me multa, & quidem penè omnia primū agnoui, tumq; meo non minimo sumptu deprehendi, & apertis, quod dicitur, oculis expertus sum, quam nō sit tutum aliorum iudicio & famæ incumbere. Nam sæpenumero contingit, vt nos plerique presentes laudent, vel amore, aut alio quouis affectu ducti, sicq; de nobis bene mereri putant, cum sapius vt de coloribus cæci, sic ij de nostro captu & in literis, aut etiam honestis actionibus profectu sentiant. Interea tamen eorum in sententiam pedibus imus, quod aiunt, atq; importunè falli nos sinimus. Crassam meherclè & supinam credulitatem. Agnouit lubès Socrates de se Physionomi iudicium, talemq; à natura fore se palam falsus est, nisi se Philosophiæ excolendum tradidisset. A qua quidem modestia longè semper absumus, qui eminentes quosdam sapientiae colores, & imaginaria virtutum ornamenta nobis inesse demifamur, & vt vera credimus absolutaq;, quasi quibus ad perfectionem addi nihil possit, ideoq; molestè ferimus, si qui, dum nostri mentionem faciunt, non satis honorificè loquantur, eaq; tribuant, quæ nos

namimè attingunt, vel etiam nullo modo ad nos attingent. Qui morbus vt deploratissimus sanari egredè potest, nisi tamen aliquando meliore quodam impulsu genio, potius spectemus quid nobis desit, quam quid adsit. Si quid enim adest, cauendum est imprimis ne effluat, aut pretio ampliori quam par sit, æstumatum vilescat apud alios: si quid deest, quod sciamus omninimò nobis esse posse & vsui, efficiendum est, vt labore & diligentia comparari à nobis & conquiri possit. Sed in primis meminisse debemus subindeque animo reperere, non quantum cæteris excellimus, sed quantum alijs simus inferiores, & quam alioqui deteriores. Bene Seneca libello de vitæ tranquillitate: Puto multos potuisse ad sapientiam puenire nisi putassent se peruenisse. Illud enim *φιλαυτίας* vitium tam nobis familiare ac domesticum, sed tamen in primis exitiosum, præterquam quod tumorem, inuidiam, audaciam, & desidiàm fouet, solet etiam vnà secum aduhere & alere turpissimam ignoracionem, quam meritò Sophocles *δυσπίλαστον κακὸν* appellat. Vteribus illud in ore fuit, cum malignos habere vicinos, qui sui laudator fuerit. Idcirco numquam probata est illa plus æquo pruriens *φιλαυτίας* opinio in Astydamante histrione, quòd suas ipse laudes inscribi veller statueret, quam meruerat. Non enim

*Qua sequantur φιλαυτίας.*

*Astydamos histrio.*

*Sophista.*

*πολλοὶ σὲ τὰ μισῶσιν, ἀν σαυτὸν φιλεῖς.*  
*Et multi te oderint, si tu te ipsum ames.*  
 Quid tam malè audijt Sophistarum nomen, nisi ob effrenatam illam, & cæcaram sui admirationem? Socrates vt eorum importunitatem frangeret atq; eluderet (illi enim nihil se nescire iactabant impudentius) eosq; contrarijs armis oppugnaret, nempe honesta dissimulatione potius, quàm pari verborum strepitu atq; contentione dicebat hoc vnū se scire, quòd rerum omnium esset incertus. Id verò non aiebat, vt falsa de se loqueretur, apud eos presertim, quorum familiari consuetudine utebatur, sed vt assereret ea lubès omnia se nescire, quæ tam impudenti fronte sibi arrogabat triuiales illi *καταιλόγοι*, qui sic liberales

*Affentationis modum.*

*S. cratis modestia.*

discipulas, ipsamq; Philosophiam ostentando, reuera prostituerent & profanaret: aut potius vt significaret ad veram solidamque sapientiam neminem accedere vnquam posse, nisi primum se notit ignorare. Sunt enim quidam ingenio tam stolido & lubrico, qui cum nondum primoribus labijs literas degustarint, fallam tamen sibi scientia persuasionem induant. Ex quibus alij se *αὐτοδίδακτους*, alij *πανσόφους* & *πανεπισήμονας* efferre non verentur: alij alios quoscumque conuellunt & impetunt, in quorum vel leuiculis & venia dignis erratis ingeniosiores, non perpendunt, *ὅτι μωμήσασθαι βῶν ἴσιν ἢ μιμήσασθαι*. sibi nempe ignoscant, vt Mæuius ille Horatius, qui seipsum ignorans carpebat alios, se que venia dignum censebat. Quamobrem audijt ad extremum, stultum & improbum hunc amorem esse, dignumque notari. At quanto in errore versantur, qui sibi primas nullo labore tribuunt? Agathocles Peripateticus cum apud Demonactem iactaret, se solum & primum esse Dialecticorum, audiuit: Si solus es, qui primus? si primus, qui solus potes esse? Non est quod repetam literatoris illius Rhemij insolentabilem arroganciam, cum diceret, vna secum natus, & tandem perituras disciplinas. Nec est quod memorem duorum in Philosophia principum notam satis & peruulgatam *φιλαυτιαν*, Aristotelis nempe & Ciceronis; quorum hic tam suae ipsemet industriae & ingenio tribuit, vt nullis ferè in proximis laudem propriam conticuerit: ille vero, quod non modò suis in eodem Philosophico curriculo certatoribus parum faueat, sed quod contradicendi studio doctorem etiam Platonem vexarit, sui nominis celebritatem non parum obscurauit. Illi ipsi Philosophi libris, quos de contentenda gloria scribunt, nomen etiam suum praehigi volunt. Vnde Heraclitus rectè arrogantiam factam nuncupauit morbum: vel quia praestantissimus quisq; ea in primis pete implicetur: vel quia vitima rerum linea mors, afferre medelam valeat. Permittatur hoc ad inflammandum studium, & exercendam doctorum hominum industriam: *honus enim alie artes*; nullusq; sui laboris praemio, & contentiois honeste laude frustrandus est. At quis sanæ mentis eum dixerit, qui sibi plura quam habeat, arroget? Narrat Athenæus

lib. 12. cap. vltimo, Trasylauum quendam *Thrasylauum* tantam infania fuisse percitum, vt quotquot naues in Pyragum appellerent, suas ad eum derer: eas enim volutate quadam incredibili numerabat, alijq; suam fortunam lubens communicabat; quod si qua naufragium fecisset, nil inde mortoris conciperet: donec frater eius è Sicilia reuersus, hominè medico committeret, is vbi resipuisset, affirmauit se nūquam vixisse felicius, quam cum eo mentis errore teneretur, quippe qui in tanta voluptate nihil molestiae sensisset. Perinde se habent *φιλαυτοι*, aut reuera detectis, quandoquidem vt alij nocumento sunt, anxie student, cum vel maximè quod honorem alienum sibi audaciùs arrogant, aut quod aliorum conatum nigro loliginis succo, & mera arugine conspergant. Olim discipulis mos erat vt proprio etiam Marte reperta ad preceptores referrent. Quem morem secutus Plato 2. ad Dionysium Epistola fatetur, quicquid scripserit, non sua, sed Socratis esse. Qui leges primum tulerunt ad citandos mores, aut continendos hominum animos, eorum inuentionem non sibi, sed alicui numim tribuerunt: tum vt diuinitatis nomine, quasi obrento aliquo velo, plus haberent auctoritatis, tum vt inferrent rudiorum animis, leges, vt pulcherrimum Deorum inuentum, sic & vtilissimum, à nemine esse violandas, sed toto pectore colendas, tutandas, amandas. Sic & priores illi, cum referrent omnium artium & disciplinarum inuentionem ad primam illam causam, id est, præpotentem rerum omnium opificem Deum, Palladem è Iouis cerebro natam esse commenti sunt. Quot sum hæc? vt nimirum intelligamus, quam in omnibus pulcherrima sit modestia, quam que turbis valde que perniciofa *φιλαυτία*. Concludam itaq; cum Platone, dicamque eum, qui magnus est futurus, maximè decere, neq; se, neq; sua sic admirari, vt nihil putet exactius, nihil melius: *διὸ πάντα ἀνθρώπων χεῖρ φεύγειν τὸ σφέδρα φιλεῖν αὐτὸν, τὸν δ' αὐτὰ βελτίω διώκειν δεῖ μὴ δειλῶν ἀιγυῖνιν ἐπὶ τῷ τοιοῦτῳ ἀφ᾽ ὅθεν ποιοῦμενον*. Idcirco est opera pretiū, vt quisq; inimum sui amorem fugiat, meliores insequatur, nullo verecundia rubore præpeditus. Repeto illud Platonis Cratylus: *τὸ γὰρ ἕξασπασθαι ὑφ' αὐτῶν πᾶσι τῶν χαλεπώτατον, ὅταν γὰρ μηδὲν ἀμ...*

Rhēnius Palamon.

Aristoteles & Cicero φιλαυτοι.

Philosophi φιλαυτοι.

Platonis modestia.

Legum Latores primi.

oib

ἄρδν ἑστατῆ, ἀλλ' αὖ παρ' ὃ ἰστα-  
τίσων, πῶς ἔδειγδν; A seiplo decipi ali-  
quem, res est omnium pessima. nam quan-  
do sui ipsius impostor ne vel minimum à  
se discedat, sed ipsi semper adsit, quis non  
dicat hoc esse molestum? Verecundè hoc  
ita poeta princeps:

non ego Daphnion

Cantado metua, si numquam fallit imago.  
& M. Tullius: Nisi me communis decipiat  
φιλαυτία. Luste in quemdam sui nimio  
plus confidentem Strobilum, vir catus, &  
sui natura minimè dicax, his omnino spi-  
culis:

In speculo, & vitreis sese dum spectat in  
vndia

Cherilus, & nimio flagrat amore sui,  
E doctore vago bacchatur vappa, suosq;  
Collegas nibili cœcus, inersq; facit.  
Ringit, & ipse suos patitur pro crimine ma-  
nes;

Sic neq; se insanum cogitat esse miser.


Succurrebat pridem exemplum Thessali  
apud Plin, Historiæ mundi lib. 29. vbi sic:  
Eadem ætas, Neronis principatu ad Thes-  
salum transfiliuit, delentem cuncta maio-  
rum placita, & rabie quadam in omnes æ-  
ui medicos perorantem. Hic tanta arrogan-  
tia fuit, vt Iatronicem se inscripserit, quasi  
medicorum victorem. Nihil inferior fuit  
Meneeratis medici arrogantia, qui, cum  
quædã desperata curationes ipsi feliciter  
cessissent, populari adulatione dictus est  
Iupiter. Hoc cognomento vir arrogantis  
ingenij delectatus, insolentius vsus est eo  
pro titulo. Tandem Agefilao scribens, lit-  
teris hanc præfixit salutationem: Meneera-  
tes Iupiter Agefilao regi salutem. Rex eo  
offensus proæmio nihil ultra legere digna-  
tus est sed rescripsit in hunc modum: Rex  
Agefilaus Meneerati sanitatem. arguens  
hominis insaniam. Nunc ad alia.

Thessali  
arrogan-  
tia.

Meneera-  
tis.

Garrulitas.

EMBLEMA LXX.



V 4 QVID